repentina dies illa · tamquam laqueus enim superueniet in
omnes · qui sedent sup faciem omnis terrae ; Uigilate itaq:
omni tempore · orantes · ut digni habeamini fugere ista
omnia quae futura sunt · & stare ante filium hominis ;
Erat autem dieb; docens in templo · noctibus uero exiens ·
morabatur in monte qui uocatur oliueti ; & omnis populus manicabat
ad eum in templo audire eum ; Appropinquabat autem
dies festus azimorum · qui dicitur pascha ;
XVIIII ET QUAEREBANT PRINCIPES SACERDOTUM ET SCRIBAE
quomodo eum interficerent · timebant uero plebem ;
Intrauit autem satanas in iudam · qui cognominabatur
scarioth unum de duodecim ; Et abiit & locutus ē cum
principibus sacerdotu & magistratibus · quemadmodum
illum traderet eis ; & gauisi sunt · & pacti sunt pecuniam
illi dare ; & spopondit · & quaerebat oportunitatem ·
ut traderet illum sine turbis ; uenit autem dies azimorum ·
in qua necesse erat occidi pascha ; & misit petrum & iohannē
dicens ; Euntes parate nobis pascha · ut manducemus ; At illi
dixerunt ; ubi uis paremus · & dixit ad eos ; Ecce introeuntib;
uobis ciuitatem · occurret uobis homo · amphoram aquae
portans ; sequimini eum in domum in quam intrat · & dicetis
patri familias domus ; Dicit tibi magister · ubi diuersoriu
ubi pascha cum discipulis meis manducem · & ipse uobis
ostendet caenaculum magnum stratum · & ibi parate ; Euntes
autem inuenerunt sicut dixit illis · & parauerunt pascha ;
& cum facta esset hora discubuit & duodecim apostoli cū eo ;
Et ait illis ; desiderio desideraui pascha manducare uobiscū
antequam patiar ; Dico enim uobis · quia ex hoc non man
ducabo illud · donec impleatur in regno dī ; & accepto
calice · gratias egit · & dixit ; Accipite & diuidite inter uos ;